



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. XI. Responsio ad ea, quae à quibusdam obijci, vel potiùs quaeri solent in extremo Canone Apostolorum de euangelio Ioannis, vtrùm ante mortem Cleme[n]tis, immò B. Petri, scriptum sit. & quomodò ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

Tit. I.

Conformis
Canon hic
Apostolico
est precepto.
Sap. 6.

Magd. ex ne-
gantibus im-
peritè argu-
mentantur.

Nicenum, & Antiochenum de huiusmodi Synodis habendis, negare aude-
bunt? quod si hos Canones negare non audent, cur Canonem Apostolicum
audent? presertim cum, ut dixi, sicut Antiochena Synodus verbis suis signi-
ficauit, non se primum eum Canonem sanxisse, sic quoque, ut antea dixi, Ni-
cena Synodus eisdem verbis idem significauit. Preterea, cum Paulus scribit
ad Titum, Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ defunt, corrigas: & constituas presby-
teros per ciuitates, sicut & ego tibi disposui: non dixit, Sicut ego tibi dispo-
no, si quis sine crimine est, vnus vxoris vir, & quæ sequuntur, nè ad hoc tã-
tum, quod ad qualitates ordinandorum pertinet, illud verbũ referendũ es-
se existimaremus: sed dixit, Disposui, ut intelligeremus, tradidisse Tito
ἑτάξας, id est, dispositiones, siue constitutiones, quæ etiam Canones vocari
solent, quemadmodum, quæ deessent, corrigere deberet, & quemadmodũ
constitui & ordinari Episcopi deberent. Ad vtrunq; enim referendũ est il-
lud verbũ, Disposui. Quomodo verò quæ deerant, corrigere meliùs pote-
rat, qui toti insulæ præerat, quàm cum cõcilio Episcoporum prouincialium,
id est, caput cum membris? cum scriptum sit in sapientia Salomonis, Multi-
tudo sapientũ sanitas est orbis terrarũ. Quo quidem nihil vtilius, neq; salu-
tarius prouisum esse potuit, quàm si huiusmodi correctio bis per annũ fie-
ret. Quarè, ut hunc locum finiam, cum tanta vtilitas hoc Canone prouisa
sit, tanta in eo antiquitas & autoritas insit, & cum Apostolicis præceptis
tantoperè congruat: quæ imprudentia est, tam salutarẽ dispositionem Apo-
stolici Canonis, à Clemente Romano Apostolorum discipulo descriptam,
negare? quia, inquit, testimonia eius rei in historijs non reperiuntur. Quæ
ista tanta inuidia, quod istas diuinas regulas siue Canones, ad res ecclesiæ
diuinæ & Apostolicæ cõstituendas & moderandas, à sanctis Apostolis, omnium
ecclesiarum Catholicarum magistris, traditas habeamus, & seruemus? Nos
igitur rationem, scripturam, & priscam ecclesiæ Catholicæ consuetudinem
in hoc Canone defendendo sicut in reliquis, quos accusant, sequimur. Vos
verò Magd. quid sequimini in repudiando eum & calumniando, nisi odiũ
ecclesiæ nostræ & inuidiam, & illud vestrum argumentandi genus ex negã-
tibus, quod in schola Martini Luteri Germanici prophetæ didicistis? Non
reperiuntur testimonia huius rei in historijs, ergo non est hic Canon Apo-
stolorum. Iamne videtis Germani, iamne videtis istorum, qui vos decipi-
unt, ludos, nugas, & ludibria? Sed videamus reliqua, quæ sequuntur.

*Responsio ad ea, quæ à quibusdam obijci, vel potius quæri solent in ex-
tremo Canone Apostolorum de Euangelio Ioannis, vtrum ante mortem Cle-
mentis, immò Beati Petri scriptum sit: & quomodo intelligendum, quod est
in Canone Apost. 28. Penitus à communione absindatur, ut Simon Magus
à me Petro. item de tertio lib. Maccab. & de lib. Actorum Apostol. vbi &
quomodo à Clem. Rom. inter lib. Canonicos relatus sit. Cap. 11.*

Quia

Quia hæretici, qui semel Canones Apostolorum oppugnare cœperunt, fortasè non contenti ijs, quæ iam obiecerunt, quæ sunt pertinacia, semper, quid obijciant, quæsituri sunt, nè quid eis reliquum fiat, respondebo etiam ad ea, quæ à quibusdam alijs quæri solent non studio oppugnandi Canones, sed, quæ obscura eis videntur, intelligendi. sic enim quidam ex istis scripsit: Illud etiam peculiarem in his Canonibus difficultatem facit, cum ultimo eorum recipitur Ioannis Euangelium. atqui (inquit) sub Nerone martirium passus est Petrus, hoc est, 14. anno Neronis, qui fuit vltimus imperij eius: Ioannes verò scripsit suum euangelium sub Domitiano, quo tempore iam Petrus erat mortuus: non potuit igitur Euangelium eius confirmare, & tamen 23. Canone habetur, Et à me Petro: immò nec ipse Clemens Romanus, qui Canones scripsit, superstes erat, quia secundum Damasum non peruénit, nisi vsque ad Consulatum Vespasiani 9. & post annos tres ab eo Consulatu Domitianus imperium suscepit, mortuo Tito Vespasiani filio. Quod verò Ioannes non prius, quam regnaret Domitianus, Euangelium scripserit, ex eo quoque significari potest, quia illud propter insurgentes hæreses Cerinthi, aliorumque Christum negantium esse Deum, scribere necessarium esse iudicauit. quod virus sub eiusdem (vt narrat Eusebius) Domitiani regno euomi cœpit. Ioannes cum esset in Asia, vt Hieronymus in proœmio super Matthæum scribit, & iam tunc hæreticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant Christum in carne venisse, coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris alius scribere. Et Aimò Alberstatensis Episcopus libro tertio de rebus Christianarum memorabilibus narrat, Ioannem in vltimis vitæ temporibus scripsisse Euangelium, ab Asiæ Episcopis compulsus propter hæreticos, qui eo exulante irruerant in Ecclesias cum varijs & peruersis dogmatibus: Dorotheus verò Episcopus Tyri, qui sub Constantino Magno vixit, Ioannem scribit non à Domitiano, sed à Traiano Neruæ filio, in insulam Patmon exilio fuisse damnatum, vbi etiam sanctum Euangelium suum scripsit, quod postea Ephesi per Caium hospitem suum ac diaconum edidit. Ioannem vixisse vsq; ad tempora Traiani, author est Irenæus, & Clemens Alexandrinus pluribus in locis. Hactenus iste author. Dicamus nos rursus, quæ in nostris authoribus obseruauimus, vt conferat postea ac iudicet, qui vtraq; legerit. Ac primùm quidem hoc ipsum de Euangelio Ioannis tempore Clementis scripto, est etiam in secundo libro eiusdem Clementis de constitutionibus Apostolicis c. 57. Sic enim ait: Diaconus aut presbyter legat Euangelia, quæ ego Matthæus & Ioannes tradidimus vobis, & quæ adiutores Pauli Lucas & Marcus acceperunt, & tradiderunt vobis. Hactenus Clemens, qui Matthæum & Ioannem introduxit loquentes hoc. Ad extremum ergo imperij Domitiani, vt author est Irenæus in 5. contra hæreses libro, vidit Ioannes Apocalypsim, cum esset relegatus in insulam Pa-

*Euangelium
Ioannes ante
Apocalypsim
scripsit.* thmos vnam ex Cycladibus, cum iam ante Euangelium suum scripisset, & prædicasset. testis est Epistola Dionysij Areopagitæ, quæ ad Ioannem, cum esset in exilio, scripsit, in qua Ioannem appellat solè Euangelij: & Euangelium quod scripserat, appellat memoriâ & renouationem veræ theologiæ eius, cuius lectione fieri ait, nè radio illius solis priuari possent, qui legerent. Idè affirmat S. Maximus in scholijs Epistolæ huius, & Georgius Pachimerus eum secutus: idem quoquè affirmat Eusebius libro tertio historiæ Ecclesiasticæ, Cap. 24. post Euangelium scripisse Apocalypsim & epistolas. Hieronymus quoquè narrat Ioannem rogatu Episcoporum Asiæ scripisse Euangelium aduersus Cerinthum. meminit autem Clemens libro sexto de cõstitutionibus Apostolicis cap. 8. Cerinthi, Marci, Menandri, Basilidis, & Saturnini, quorum hæreses Irenæus in primo libro commemorat. Quod ergò ait Dorotheus de Euangelio Ioannis scripto in exilio, solus Dionysius, vt cæteros omittam, satis conuincit, falsum esse. Et qui dicunt non potuisse Clementem videre Euangelium Ioannis, ipse idem Clemens conuincit eos falli. etenim si Clemens fuit tempore Cerinthi, vt idem scribit, potuit igitur videre Euangelium Ioannis scriptum contra hæresim Cerinthi: nec enim diuturnitate temporis indiguit Ioannes ad scribendum, vt nos solemus. Accedit huc, quòd in Dorotheo Græco manu scripto non est hoc, sed sic scriptum est: Ioannes, qui Euangelium & Apocalypsim scripsit, prædicato Euangelio Ephesi, & in cuncta Asia, propter Euangelij prædicationem missus est in exilium in Patmum insulam. Deindè quid authoritatis habere id debet, si idem Dorotheus dicit, relegatum fuisse Ioannem à Traiano, cum cæteri omnes constanter affirmant, à Domitiano fuisse missum in exilium, id quod verum est: sub Nerua verò, qui acta Domitiani rescidit, reuocatum? Præterea scribit S. Epiphanius, libro primo contra hæreses Tomo 2. c. 28. Cerinthum fuisse vnum ex illis, qui fratres Antiochiæ ad seruandam circuncisionem & legem Moysis commouerant, de quibus scripserunt Apostoli: Quoniam audiimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis: & quæ sequuntur in Actis Apostolorum: & fuisse item vnum hunc ex illis, qui restiterunt S. Petro, cum iuit ad Cornelium: & huius doctrinam, ait ibidè idem Epiphanius, valdè in Asia viguisse. Eusebius autem nusquam dicit, sub Domitiano virus euomere cœpisse: immò libro tertio historiæ ecclesiasticæ c. 28. hæresim eius exponit, & quæ Irenæus & Dionysius Alexandrinus de eo scripserint, recitat: & statim capite proximo, id est, 29. sic incipit: Eodem tempore & Nicolaitarum hæresis haud diu durauit: constat autem, Nicolaum vnum fuisse ex septem diaconis. Quod verò ait Aimò, Ioannem in vltimis vitæ temporibus scripisse Euangelium, conuincit non ita esse eadem Epistola Dionysij Areopagitæ, quam paulo ante dixi: Ex ea enim constat, scripisse Euangelium ante exilium: missus est autem in exilium anno 14. Domitiani, teste Eusebio, in Patmum, vbi Apocalypsim vidit & scripsit: post annos verò duos, Imperatore

*Cerinthus
tempore Apo-
stolorum.
Act. 15.*

ratore Nerua Domitiani successore, qui Acta eius rescidit, & exules reuocauit, & anno vno imperauit, liberatus fuit: & reuersus Ephesum, mortuus in principio Imperij Traiani, anno 68. post passionem Christi, vt Hieronymus est author. quare Apocalypsim scripsit in vltimis vitæ sue temporibus, non Euangelium, vt aiebat Aimo. hoc autem fefellit istos, quod cum legerent Ioannē scripsisse Ephesi Euangelium, & ab exilio Ephesum senio confectum secessisse, vt ait Eusebius in chronicis, atque ibi mortuum, existimauerunt, vltimis vitæ temporibus scripsisse Ephesi Euangelium. sed aduertere debuerunt, fuisse eum bis Ephesi, vt Dorotheus testatur, & B. Hieronymus, qui ait, reuocatum ab exilio, Ephesum reuersum esse. Cum ergo fuit primum Ephesi, tunc Euangelium, quod ibi & in cuncta Asia prædicauit, scripsit: & non postea, cum postremo Ephesum redijt. Denique, si postquam Euangelium Matthæi & Marci, ac Lucæ vidit & approbavit: & ab illis prætermissa, quæ scilicet antequam in carcerem Ioannes Baptista includeretur, gesta fuerant, supplere voluit, simulq; contra hæresim Cerinthi, Christi diuinitatem negantis, scribere: quomodo verisimile sit, tam multis annis post aliorum euangelistarū scriptionem, & post hæresim Cerinthi ante annos amplius 40. in Asia ortam, vsque ad extremum Imperij Domitiani, Euangelium suum differre voluisse? A sexto enim anno Claudij, quo Simon magus Romæ expugnatus fuit à Petro, & Iudæi ac Christiani ex vrbe pulsi, quando Simonis successores, ex quibus fuit Cerinthus, Ireneo authore, suas hæreses disseminare cœperunt, vsque ad extremum Imperij Vespasiani, cum Clemens mortuus est, fluxerunt anni 31. teste Eusebio. Quomodo igitur tot annorum spatio non potuit aut Ioannes Euangelium scribere, aut Clemens scriptum videre? Ex hac quoque ratione temporum constat, carere etiam omni probabilitate, falsumq; esse, non potuisse beatum Petrum Euangelium Ioannis videre, quia fuerit martyrium passus 14. anno Neronis, cum à Simone mago superato (cui Menander, Saturninus, Carpocrates, Cerinthus, & Nicolaitæ successerunt) vsq; ad 14. annum Neronis iam anni 22. fluxissent. Deinde, esto, ita esse, scriptum fuisse Euangelium Ioannis post martyrium beati Petri & Pauli: Ponamus enim hoc. ne sic quidem contradicit canon 28. in quo est, Priuetur omnino cōmunione, vt Simon magus à me Petro: scribit enim Clemens *μυμητικῶς*, id est, per imitationem siue repræsentationem personæ, quo genere vsus est Plato, & ante eum Alexamenus Teius, vt Aristotel. in Poëtica notauit. Hoc ergo genus scribendi ad morem dialogi pertinens, secutus est Clemens in libris de cōstitutionibus & canonibus Apostolorum, & in historia disputationum Petri cum Simone. introducit enim interdum Apostolos loquentes, quæ eis conuenit loqui, vt hoc loco fecit. Petrus enim Simonem ecclesiæ cōmunione priuauit, ac proinde cōmunionem sanctorum, quam in ecclesia cōfitemur, cum ei dixit: Pecunia tua tecum sit in perditionem: non est tibi pars, neq; fors in sermone isto, id est, propter hoc, quod commisit, non es am-

*Vnde ortum
duxerit eorū
error, quæ Eu-
angelium 10-
annis vltimis
vitæ suæ tem-
poribus scri-
ptum esse, tra-
diderunt.*

*Petrum vides
re Euangelium
Ioannis potuis-
se.*

Act. 8.

es ampliùs particeps communionis fidelium & sanctorum, nisi pœnitentiam agas. partem enim & fortem sic dixit hic, sicut Paulus in Epistola ad Coloffen. c. 1. cùm ait, Gratiâs agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem fortis Sanctorum in lumine, id est, in baptismo. sic enim vocat Dionysius Areopagita, qui interpretans hunc locum Pauli, Cap. de baptismo, communicari ait diuinum lumen cum homine per baptismum, & fieri ex forte atque ordine Sanctorum: Ex hac ergò forte eijcitur, qui excommunicatur, vt Simon à Petro. Itaque interpretatus est Canon locum in Actis Apostolorum, vt hoc obiter obseruatum sit. Hactenus de Euangelio Ioannis. Illud præterea de tertio libro Maccabæorum, in eodem Canone vltimo Apostolorum ab istis quæri solet, si inter libros Canonicos hic tertius liber à principio relatus est, idq; à sanctis Apostolis, teste Clemente, traditum, quemadmodum non est ab Ecclesia inter libros Canonicos hactenus receptus? Respondeant isti, cur de Apocalypsi, vtrum Ioannis esset, ac proinde canonicus liber, aliquandò dubitatum fuit, cùm tamen Apocalypsis à principio canonicus liber, & sui authoris, id est, Apostoli Ioannis fuisset? simili ratione fieri potuit, vt hic liber tertius Maccabæorum, à principio quidem canonicus fuerit, dubitatum tamen aliquandò de eo sit, idq; in causa fuisse, & adhuc fortassis esse, cur inter libros canonicos non numeretur: ex quo tamen non continuò sequitur, vt Canon iste Apostolorum, à Clemente scriptus, negandus sit, qui eum à principio inter canonicos numerat: quin potiùs consequens est, vt temerarium sit, ante iudicium ecclesiæ illum reijcere. Plus enim autoritas Clementis valere debet, ad dicendum canonicum esse, quàm autoritas testis nihil dicentis, id est, neque canonicum esse, nec non canonicum: Ecclesia enim hactenus neutrum decreuit: neque canonem Apostolorum à Clemente scriptum, improbauit. Quòd si testes quærimus, qui eum citent, tanquàm autoritate dignum, tamen si canonicum non appellent, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum: Eusebius quidem Cesareensis in annalibus eum citat. sic enim ait: Quartus Aegypti Rex Ptolemæus Philopator annis 17. deinde subiungit, Ea, quæ in tertio Maccabæorum libro scripta sunt, sub hoc Ptolemæo gesta referuntur. Item Theodoretus Cyri Episcopus, in comment. Danielis prophetæ c. 11. cùm prædicit propheta bellum Ptolemæi Philopatoris cum Antiocho Magno, vt Hieronymus quoq; interpretatur: Et veniet (inquit Daniel) ad robur. Robur, inquit Theodoretus, vocat Hierusalem, vtpotè fruentem gratia diuina, & propter miracula varijs temporibus facta, quæ vim Dei declarabant. Deinde subiungit, Eusebium secutus: Atque hoc quidem docet tertius liber Maccabæorum. Postquam enim Ptolemæus, præter spem & opinionem omnium, Antiochum cognomento Magnum vicit, perrexit quidem Hierosolymam, vbi victimas plurimas immolauit. cumq; conaretur in interiora templi penetrare, inuitis & repugnantibus sacerdotibus, pœnas dedit occultè: minatusq; Iudæis, Alexandriam profectus est, & illa

Coloss. 1.

Act. 8.

De tertio lib.
Maccabæorū,
quem Can. vlt.
timu inter
Canonicos
numerat.

Qui authores
tertium librū
Maccabæorū
citant.

& illa tentauit efficere, quæ narrat historia, scilicet tertij libri Maccabæorū. Hoc ergo prædicit propheta, inquiens: Veniet ad robur, & ingreditur ad firmamenta regis: & quæ sequuntur. Hactenus Theodoretus. Accedit huc, quod cum Dionysius Areopagita canonicos sanctarum scripturarum libros ex materia atque argumento cuiusque eorum, in Ecclesiast. hierarch. c. de communione, denotat: libros Iob, Tobia, & Maccabæorum significat, cum ait, narrari etiam in scriptura antiquorum virorum, in varijs ac multis acerbitatibus dolentium, inuictam virtutem tolerantia: ista autem inuicta virtus, in tertio isto libro maximè illustris & admirabilis cernitur. Narrat enim, quanta animorum firmitate ac constantia, quanta religione & orationis perseuerantia, ac Dei fiducia, sacerdotes atque omnes Iudæi, Ptolemæum Philopatorem regem Aegypti potentissimum, Antiocho magno fugato, Hierosolymam ingressum, vt amicum & defensorem, aditu tamen templi, nè illud pollueret, prohibebant, parati omnes vitam pro lege patria profundere. Narrat deinde, quanta item constantia populus Iudæorum Alexandria in illo summo discrimine internecionis, eiusdem Ptolemæi iussu toti populo impendentis, pietatem & religionem inter assiduas illas preces & lachrymas seruauerit: & quam vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, in illa tunc incredibili regis plusquam Phalaridis sæuitia, admirabili sua prouidentia ac misericordia fecerit Dominus. Deinde cum historia huius tertij libri, historias primi & secundi libri Maccabæorum multis annis antecesserit: cur non fiat verisimile, hunc librum, quo historia tam utilis ecclesiæ, & tempore antiquior, contineatur, receptum fuisse tunc cum alijs duobus historiarum posteriorum? Est autem tertio loco collocatus, vt primus Maccabæorum primo, etsi historia eius posteriorum temporum est, quàm historia secundi: & secundus secundo, etsi historia eius priorum temporum est, quàm historia primi: sic, inquam, tertius tertio loco, etsi historia eius superiorum adhuc temporum est, quàm historia vtriusque, vt ex chronicis siue annalibus Eusebij, & Iosephi historijs perspici potest. Non defendo librum hunc tertium, canonicum esse, donec mihi dicat ecclesia: sed illud dico, vt non repræhendimus, quod sanctus Athanasius in Epist. 9. paschali, in enumeratione librorum canonicorum duos Maccabæorum, alioqui canonicos, prætermisit, neque Gregoriū Nazianzenum, nec Amphilochium Iconij Episcopum, neque Ioannem Damascenum, qui idem in suis librorum canonicorum descriptionibus fecerunt, nec Eusebium Cæs. qui in chronicis ait, libros Maccabæorum non recipi inter diuinas scripturas: loquitur enim de suo tempore, & regione sua. sic non est repræhendendus canon Apostolorū, à Clemente Romano scriptus, in quo tres libri Maccabæorum inter canonicos relati sunt. Causam, cur ita, dixi supra: nè iterum repetam. Illud prætereà ab istis quæri solet, cur inter sacros libros, non sit in canone isto Apostolorum, numeratus liber Actuum Apostolorum. Immo verò numeratus est, tametsi non omnes

*Argumentum
3. libri Maccabæorum à Dionysio Areopagita.*

Tertij libri Maccabæoria historia, prior est tempore ea qua in primo & secundo, sicut secundus libri ea qua in primo exponitur.

Qui duos libros Maccabæorum in canonicis olim non numerarunt, opinionem sui temporis & regionis secuti sunt.

Actuum Apostolorum liber an in Canone ultimo inter sacras sit numeratus.

F aduer-

aduertant: non enim, quia post Epistolas duas Clementis, & libros de constitutionibus ab eodem Clemente scriptos, liber Actorum collocatus est, idcirco non est inter sacros & canonicos relatus, vt non referuntur Epistolę Clementis, neque libri constitutionum, quod quidem non obscure idem Clemens significauit. vt enim auctoritatem libri Actorum, ab auctoritate Epistolarum Clementis, & librorum de constitutionibus distingueret, dixisse mihi videtur, Epistolę Clementis duę, & constitutiones vobis Episcopis per me Clemente scriptę: sciebat enim se nec Apostolum, nec Euangelistę esse. De libro autę Actorũ subiūgit in persona Apostolorũ: Et Acta nostra qui sumus Apostoli. hoc enim significat. καὶ πράξει ἡμῶν τῶν ἀποστόλων. Atque esse quidem hunc librum à Clemente inter canonicos relatum, magis adhuc ex secundo libro de constitutionib. c. 57. intelligi potest. sic enim ait in persona Apostolorum, de libris sacris & canonicis, qui in ecclesia legendi sunt: Stet autem in medio in loco celsiore Lector, & legat ex libris Moyſis, Iosua, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Esdra, Iob, Salomonis, duodecim prophetarum, psalmorum David: postea legantur Acta nostra, & Epistolę Pauli adiutoris nostri, quas misit ad ecclesias secundum spiritus sancti instructione. Deinde diaconus, aut presbyter legat Euangelia, quę ego Ioannes & Matthæus tradidimus vobis: & quę auditores Pauli acceperunt, & tradiderunt vobis Lucas & Marcus. Hactenus Clemens. Hęc sunt, quę Magdeburgenses non obiecerunt, qui si quando alia obijcere voluerint, ita ad ea responsum sit. Ad reliqua verò, quę quidam in quæſtionibus ponere solent, hæretici verò in criminibus obijcere, partim iam respondimus, partim deinceps respondebimus. Redeamus ergo ad Magdeb.

Responsio ad id, quod Magdeb. obijciunt, reperiri Canones Apostol. in Concilio Niceno, & Antiocheno, & Chalcedonensi: & quomodo hoc ipsum auctoritatem Canonum Apostolorum magis confirmet. & de 16. capitulis Epistolę Innocentij primi, collatis canonibus Apostolorum, vnde illa ducta sunt, idque Nicena Synodo in quibusdam ex his capitulis testante. Cap. 12.

Q Vintò etiam (inquiunt) intelligi potest, non ab apostolis, sed ab alijs & quidem seculis inferioribus, istos plerosque Canones, qui præsertim ab illis, quos supra recensuimus, discrepant, compositos esse, quòd plerique in concilijs, quę longè post habita sunt, nempe Antiocheno, Niceno, & Chalcedonensi tum conditi dicuntur, tum vt à patribus constituti, allegantur.

Hęc Magdeb. Quod hęc Magdeb. in Canones Apostolorum obijciūt, non solum eorum fidei & auctoritati non derogat, sed potius eam confirmat. Cùm enim Canones Apostolorum regulę sint *πρὸς ἰτραξίαν*, (sic enim in vetustissimo Codice inscriptos reperi, id est, de compositione rerum eccle-

się) vt